

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1481

**Autre(s) référence(s) :** Fauroux 36 / Tabuteau 127

**Auteur(s) :** Richard II, Normandie (duc)

**Bénéficiaire(s) :** Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1025, août

**Lieu d'émission :** Fécamp

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard II rappelle la restauration de Jumièges par son aïeul Guillaume Longue-Epée, et confirme les restitutions faites par ce dernier : Jumièges et ses dépendances entre Bliquetuit et l'Anerie et même au delà, jusqu'à Yville [-sur-Seine] ; Yainville, le Trait, Saint-Paul, Duclair, les terres jusqu'à Epinay [-sur-Duclair] ; à Epinay [-sur-Duclair] le tiers des terres et de l'église ; un moulin sur l'Ambion-Sainte-Gertrude, Norville sur la Seine, Vieux-Port sur la Seine ; le bourg de Quillebeuf [-sur-Seine], Saint-Aubin-sur-Quillebeuf avec les églises, le droit de passage, le tonlieu et tout ce qui revient au domaine ducal. Il restitue aussi Gouy et Gauciel avec l'église et ses dépendances. Sur ces derniers biens, Robert archevêque de Rouen, frère de Richard II, fit don des coutumes comtales.

Richard II énumère ensuite les donations orales faites par son père Richard Ier ou avec son consentement : la moitié de Heurteauville, huit hôtises à Hennezis, vingt hôtises à Guiseniers et deux charruées de terre entre ces deux domaines, l'église de Guiseniers, Vimoutiers avec la forêt comprise entre la rivière et la forêt de Saint-Pierre de Lisieux, une partie de Crouttes avec la moitié de l'église et le quart du Renouard ; la forêt entre Vimoutiers et Crouttes, jusqu'au pont, près de la route du Mont-Saint-Michel ; plusieurs biens à Ouézy et Vieux-Fumé ; une charruée de terre sise à Condé [-sur-Ifs], une part du domaine et de l'église de Beaubray ; le quart de « Wadecherville ».

Richard II concède quant à lui, Pont-de-l'Arche avec l'église, et divers biens ; l'église des Damps ; à Longueville, territoire jadis échangé contre la terre de Tourtenay en Poitou, [Saint-Pierre-d'] Autils et, en particulier l'église Saint-Pierre, et le tiers des dîmes des églises Saint-Just et Saint-Marcel ; l'église de Tourville [-la-Rivière] ; la chapelle de Gouy ; les dîmes des Authieux [-sur-le-Port-Saint-Ouen] et de Gruchet ; les dîmes des filets lancés entre Pont-de-l'Arche, le pont de la cité et Stindrap, la coutume ducale sur ces engins de pêche et les dîmes des fosses à poisson du domaine ducal ; à Rouen le manse de « Turrem Alvredi » et l'église Saint-André [-hors-Ville] ; un moulin à Lillebonne ; Trouville [-la-Haulle] avec l'église ; la forêt entre Vieux-Port et le val de « Furnevilla » ; Sainte-Opportune-la-Mare et l'église ; le tonlieu et les foires annuelles de Vimoutiers ; l'église du Manoir ; les dîmes du tonlieu et de la vicomté de Bayeux, un moulin à « Thuas » ; quatre salines à Honfleur, le droit à l'achat du vin à Brosville ; une hôtise à « Duno » ; un alleutier à Vieux-Fumé et toutes les coutumes comtales sur les terres de ce lieu.

Richard II confirme enfin les donations faites par ses fidèles : l'emplacement d'un moulin à Gouy (donné par le comte Raoul d'Ivry) ; dix acres de prés à Vatteville sur la Seine (donnés par Hugues, évêque de Bayeux) ; dix hôtises dans le marais de la Dive (ou de Dive-sur-Mer ?) et une part de l'église Notre-Dame [de Dive], (don d'Eude le connétable) ; divers droits et biens dans le marais de Couronne ; le quart de Blacqueville ; l'église et une partie du domaine de la Lutzerne ; une part de Fretteville et de Beautot (?) ; une hôtise à Claville ; divers biens à Daubeuf [-près-Vatteville], ainsi qu'à Pont-Authou où Richard II abandonne toutes les coutumes qui lui revenaient.

## Tableau de la tradition

## Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 296 (extrait).
- b. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° XII, p. 30-42.
- c. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 36, p. 135-141.

### Texte établi d'après c

Divina propitiante clementia, ego Ricardus, dux Normannorum. Omnibus Christi fidelibus, toto orbe terrarum longe lateque diffusis, quibus patrie celestis amor incumbit, religionis ac misericordie studia mente tractare, opere perficere condecens est, ut ipsis operibus piis veritas patescat amoris ; nec differt occasio, cum ipsa nos a se amoveat seculi ambitio, ita, suis jam se amovens ruinis, respui ut quandam blandimentis et quadam felicitate cogebat amplecti, in quo nichil quisque prudens illi improperat, quia, ut ipsa rerum nos insinuat natura, omnia fert etas. Non ergo utile videri potest iis, quos certa manet spes post hec mortalalia consequi posse eterna et post hos caducos labores requiem adipisci sine fine manentem, mundo senescenti, quem sua jam pene debilis curvat etas incomberet, et ei cuiuslibet fervoris amore adherere cui nec sua curant fidem servare. Hec ego, secundus nominis mei Normannorum dux, considerans, studui erga divini cultus obsequia quorum merces semper manet, prout michi desuper datum est, quosdam meos expendere labores quorum michi fructus maneret, cum secularia penitus deficerent, majorum meorum usus exemplo quorum me Dei gratia heredem constituit, quibus cure fuit loca divinis obsequiis mancipanda vel instaurata meliorare, vel penitus collapsa restaurare. Quorum pios prosecutus labores ut ejus particeps quam pro his adepti sunt, merear fieri, glorie, summa diligencia curam adhibui vel perficere quod illi, morte superveniente, imperfecta reliquere, vel augere quibuslibet beneficiis que pleno perfecerunt opere. Ex qua devotione huic monasterio in honore et veneratione beati Petri apostolorum principis dicato, quod Gemmeticum appellavit prerogativa antiquorum quandam perversorum bacante gladio ad solum usque diruto sed avi mei, Willermi nomine, summa diligencia ad plenum restaurato, concedo, pro anime mee remedio et ipsius genitoris quoque vel genitricis necnon et conjugis mee Judith et universe prolis michi a Deo concesse, ad supplementum victus servorum Dei ipsi in eo servientium, subnotata predia et possessiones sive decimas, prescriptis his que quandam ipsius loci juris fuerant, sed post loci devastacionem quorundam malignorum usibus et dominationi cesserant, ipsius vero piissimi restauratoris studio et diligencia in usus servorum Dei fuere restituta, id est Gemmeticum et quicquid ibi pertinere videtur, cum pratis, silvis, vineis, aquis, aquarumve decursibus et piscariis, a loco qui dicitur Belinguetuyth usque ad Josephsartum, in parte ea qua monasterium situm est, ultra vero usque ad Vuitvillam. Restituit quoque Euuenvillam, et masnille quod dicitur Tractus, et Davidvillam et Durclerum cum omnibus appendiciis suis, et molendinis, et ipso aque decursu, et piscariis ad integrum, et terras ex integro usque ad villam que dicitur Sancti Martini, et ex ipsa eadem villa terciam partem de omnibus terris videlicet et ecclesia ; item molendinum unum in fluvio qui dicitur Caldebech, Nudrivillam super Sequane fluvium cum omnibus appendiciis suis, portum in fluvio Sequane qui dicitur Tutas, burgum quoque qui dicitur Cheliboei et Vuamburgum cum ecclesiis et portu et teloneo, et quicquid ex hiis ad fiscum nostrum pertinere potest. Restituit quoque villam que dicitur Goiacus, consensu et voluntate Hardradi qui eam eatenus possederat, et Vualsiardum cum ecclesia et omnibus appendiciis eorum, ex quibus nostro tempore donavit per consensum nostrum Robertus archiepiscopus, frater noster, omnes consuetudines que ad comitatum pertinent, quas ipse ex nostro jure possidebat. Hec sunt que avus noster Willermus ipsi loco restituit, et demum vitam finivit. Cui successit genitor meus, heres factus honoris et beneficii qui ad hec addidit, ad supplementum servorum Dei, medietatem de Hartelvilla, consentiens monachis ut aliam medietatem emerent de quodam fideli suo nomine Gelfredo. Dedit quoque ejus consensu quidam Bernadus in villa que dicitur Anisey hospicia octo, et in villa que dicitur Gisiniacus hospicia vingiti, et inter utrasque terram arabilem quantum sufficit duabus carrucis. Dedit quoque ecclesiam de Gisiniano quidam presbiter nomine Manno. Dedit quoque Vimonasterium Osmundus Gelth et omnes qui cum illo partem habebant, cum omnibus appendiciis suis, pratis, aquis, molendinis, et piscariis, et silva que est in altera parte

fluminis ab ipso loco usque ad divisionem silve Sancti Petri Lisoye urbis. Dedit et Walterius medietatem ville que dicitur Cruntas et alterius medietatis terciam partem et ecclesie medietatem et quartam partem de masnille quod dicitur Rainuardi videlicet in ecclesia et in terris, pratis, silvis. Dedit quoque silvam ex integro, que est inter Vimonasterium et Cruntas, usque ad pontem secus viam qua itur ad Montem Sancti Michaelis. Dederunt etiam Euvrardus, Albuinus et Theothmarus Oisiacum villam et Vadum Fulmerii, eam videlicet partem quam habebant in utrisque in pratis et silvis, aquis, molendinis et piscariis ; et Hugonis partem emerunt ipsi monachi. Dedit quoque predictus Albuinus, in villa que dicitur Condeth terram arabilem quantum sufficit ad unam carrucam. Dedit quoque Lambertus villam que dicitur Balbericus cum ecclesia, eam videlicet partem quam habebat in utroque. Dederunt etiam Hermenoldus et Fridericus quartam partem de Vuadecherville et de ecclesia ejus. Hec consensu et astipulatione genitoris mei supra nominato loco data sunt, sed minime propriis cartulis descripta. Huic ergo ea cessioni mee addo, ideo ne perfidorum temeritas invadere presumat, subjungens illa que pro anime mee remedio ipsi loco concedo, id est : Pontem Archas, et ecclesiam, et thelonium, cum molendinibus tribus et piscariis omnium sub ipso Ponte molendinorum, et duas acres prati, et molendinum unum ad ecclesiam pertinentem. Item ecclesiam ville que dicitur Asdans cum tribus hospiciis. In Longavilla, Haltiz, et quicquid ad hoc pertinet de vineis, pratis, terris cultis et incultis, silvis, aquis, et de piscariis quartam noctem in ingeniosis quorumcunque que commutauimus pro villa in pago Pictavensi sita que dicitur Tortiniacus cum suis appendiciis. Item in eadem villa ecclesiam que est in honore Sancti Petri, quam emit nostro consensu ipsius loci abbas nomine Theodericus centum quadraginta libras denariorum, et in duabus ecclesiis ejusdem ville, una in honore Sancti Marcelli et altera Sancti Justi terciam partem omnium decimarum. Concedo etiam ecclesiam de Torvilla et totam terram ad eam pertinentem, sicuti Ansgerius presbiter tenuit, et de villa capellam que dicitur Goiacus et decimas ville que dicitur Altaria et ejus que dicitur Grutiacus decimas quoque saginarum et volantium retium a Ponte Archas usque ad pontem civitatis, et a ponte civitatis usque ad locum qui dicitur Stindrap quicquid ex ipsis sagenis et retibus ad nostram pertinet consuetudinem, et decimas de fossatis nostris ; item in civitate Rothomago mansum pertinentem ad Turrem Alvredi et ecclesiam in honore Sancti Andree cum terra ad eam pertinente, et in suburbio hospitia tria. Concedo et molendinum unum in villa que dicitur Lilibona in bucca vivarii nostri, et Turovillam cum omnibus appendiciis suis, et ecclesia et silva que est a portu qui dicitur Tutus usque ad vallem de Furnevilla. Item Esnutrivilam cum ecclesia, et thelonium de Vimonasterio et nundinas singulis annis. Concedo et terram Drogonis fidelis nostri, ex integro, donante ipso paterno alodo cum omni integritate. Do et ecclesiam de quadam sede nostra que appellatur Manere, et decimas theloni et vicecomitatus de civitate Baiocas, et molendinum unum in villa que dicitur Thuas. Do etiam salinas quatuor ad Hunefleth et comparationem vini in Brothvilla et in hiis que ad eam pertinent, et in Duno hospicium unum, et in Vado Fulmerii unum alodarium et omnes consuetudines quas ex jure comitatus in omnibus terris loci ipsius tenebam. Hec omnia pro amore celestis patrie ad usus servorum Dei concedo, annuentibus filiis Richardo atque Rothberto, habeant, teneant et possideant absque ulla inquietudine cujuslibet secularis vel judicarie potestatis, sicut res ad fiscum dominicum pertinentes. His subscribere placuit ea que fideles nostri vel de suis beneficiis que nostris sunt juris vel de paternis hereditatibus contulerunt, id est aream molendini unam quam dedit Rodulfus comes in villa Goiaco, et decem acres prati quas dedit Hugo episcopus in Watevilla supra Sequanam, et octo hospicia que dedit Odo constabularius in marisco Dive, et partem quam habebat in ecclesia ville que dicitur Sancte Marie, et LX. ambras salis, et duos tractus piscatorios, et in marisco Curtehulmi unam acrem prati et quartam partem de Blacrevilla quam dedit Theobertus. Dedit et quedam femina, Christina nomine, de villa que Luzerna dicitur eam partem quam tenebat et ecclesiam et molendinum unum cum integritate. Dedit et Turgotus eam partem quam habebat in Fridivilla et Ratherius eam partem quam tenebat in Baltretoth et Ursio vicecomes hospicium unum in Davilla, et Aluualdus id quod tenebat in Dalbodo ; Stotringus quoque ad Ponthaltou duas partes ex his que ibi possidebat, id est de ecclesia, de terris, de pratis, et molendinum unum et insulas duas cum integritate, firmata ea conventione ut non liceat ei ex ipso beneficio vel vendere vel commutare alicui nisi ipsis servis Dei, pro quo et nos donavimus omnes consuetudines que ex ipsa terra ad nos pertinebant. Hec omnia quasi a nobis data ascribimus et confirmamus. Hoc igitur donationis precepto confirmans ea que avi mei diligencia prenominato loco restituit vel concessit, patris quoque devotio contulit necnon et mea humilitas augmentavit, peto illorum magnitudinem quos Deus post me hoc honore sublimaverit, ut, sicut auctoritatis sue scripta inviolata manere voluerint, ita hec inconclusa et inviolata manere permittant. Si vero aliquis contra eam aliquid conatus fuerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat et coactus auri libras centum ad fiscum dominicum persolvat, ut confusus discat improborum temeritate non esse violanda que ob amorem Dei majorum statuerit auctoritas. Hanc autem, ut omni tempore stabilis maneat, manu nostra subterfirmamus et filiis et fidelibus nostris firmandam tradimus.

Actum Fiscanni publice. Ego Richardus secundus, Normannorum dux, hoc donationis mee preceptum per hoc crucis signum confirmo. Ego Mangirus episcopus subscripsi. + Ego Hugo Bajacensis episcopus subscripsi. + Ego Rotbertus archiepiscopus hoc signo confirmo. + Ego tercius Richardus hoc signo confirmo +. Ego Rotbertus frater ejus hoc signo confirmo +. Ego Hugo episcopus Ebroicensis subscripsi +. Data mense Augusto, considentibus

nobis Fiscanni palatio, anno ab Incarnatione Domini milesimo .XX. VIImo. inditione octava, regnante Rotberto  
rege, anno .XXXmo. octavo.